

oo ge



15
:וְשֵׁנִי אֱלֹהִים:
DISSERTATIONEM
De
ARTIBUS
LIBERALIBUS

SEU
POLYMATHIA VETERUM,

Amplissima Facultate Philosophica
benevole concedente,

SUB PRÆSIDIO

VIRI CLARISSIMI

DN. M. JOHANNIS CRAUSII,

Facultatis Philosophicæ Adjuncti
meritissimi,

placide συμφιλολογούντων συζητήσῃ publicè exponit

CHRISTIANUS THRYLLITIUS,

Palæo-Mörbitio - Misnicus,


Auctor-Respondens


add. Martii

Anno æræ Christianæ cIo Ioc LXX.

JENÆ,

LITERIS SAMUELIS KREBSII.





עמי עשו :

Duo sunt, quibus universa studia philosophica continentur, & quibus, velut duabus alis Platonis, ad tres superiores, quas vocant, Facultates evolatur: alterum in solis ferme scholis regis seu Academiis traditur, estque *Philosophia* proprie sic dicta: alterum in iisdem docetur, & in scholis etiam classicis, si non acroamatice & exquisite; saltim exoterice & populariter tradi solet aut debet, suntque *artes liberales*. Hinc summus, qui ex horum studiorum cultu proficiscitur, honor, *magisterium Philosophiae & artium liberalium* vulgò salutatur: & ipsa Facultas, quæ hæc tradit, modò *Facultas Philosophica*, modò *Facultas artium* dicitur, vocibus *Philosophiae & artium* generalius sumtis pro complexu omnium disciplinarum, superioribus Facultatibus præmittendarum, si denominatio adæquata esse debeat. *Philosophia* passim describitur, quod sit habitus constans ex sapientia & prudentia: aut plenius ab objecto, principio & fine, quod sit notitia rerum divinarum & humanarum (h. e. necessariorum & arbitrio humano exemptarum, & contingentium sive ab arbitrio humano pendentium) quatenus ex ratione per suas causas cognoscuntur, ad obtinendam felicitatem humanam. Vid. *Seneca ep. 88. & 89. & Vossius lib. de Philosophia*. Dispescitur eadem in *theoreticam* sive speculativam, quæ res divinas contemplatur, & in earum contemplatione acquiescit ad obtinendam felicitatem theoreticam. Et hæc intellectum maximè informat disciplinasq; complectitur *Metaphysicam* cum *Pnevmatica*, & *Physicam*: Et *practicam*, quæ circa res humanas versatur & rectè agere docet ad obtinendam felicitatem practicam. Et hæc voluntatem seu adpetitum dirigit, complectiturque *Ethi-*
A 2 *cam*

cam & Politicam cum Oeconomica. *Artes liberales* autem communiter numerantur VII. juxta versum:

Lingua, tropus, ratio, numerus, tonus, angulus, astra, h. e. Grammatica, Rhetorica, Logica, Arithmetica, Musica, Geometria & Astronomia. Sicut & VII. artes manuariæ; vel potius VII. illarum classes vulgo constituuntur, ratione usus, quem præstant homini, ejusque in primis corpori, juxta versum:

Rus, nemus, arma, ratis, vulnera, lana, faber.

h. e. 1. Georgica, & alimentariæ, quæ pertinent ad victum ex vegetabilibus & animalibus desumptum v. g. molitoria, pistoria, pecuaria, coquinaria: 2. venatoria & oblectatoriæ, ac luforiæ. 3. militaris & defensoriæ v. g. athletica. 4. nautica & peregrinatoriæ, quæ pertinent ad commodam loci mutationem seu migrationem terra ac mari. 5. chirurgica & medicamentariæ ad sanitatem pertinentes, ut pharmaceutica. 6. textoria & vestiariæ, amictui destinatæ v. g. futoria, sartoria. 7. fabrilis & mechanicæ, habitationi & utensilibus variis parandis destinatæ v. g. vitriaria, monetaria. De quibus *Jonstonus lib. 2. polym.* Cæterum cum sint studia quædam liberalia à Philosophis tradita, quæ tamen disertè nec in disciplinarum Philosophicarum, nec artium liberalium numero habentur, ut sunt studium variarum linguarum, Poëtica, Historia: Cum etiam Logica & Mathesis ab aliis ad Philosophiam, ab aliis ad artes liberales referantur: Igitur in præsentī de Artibus Liberalibus, imprimis prout exacte in Academiis tractantur, breviter & crassa Minerva, bono cum DEO agam, meliora monenti patulas aures præbiturus & gratias habiturus. Viam præiverunt mihi *G. J. Vossius* lib. de Philologia: *Job. Wowerius* libro de Polymathia edit. Lips. anno 65. *Octav. Ferrarius* Mediolanensis libro de disciplina encyclo, qui est secundus in clave philosophiæ peripateticæ, edit. Francofurt. anno 1606. *Christ. Schotanus* præfat. Biblioth. histor. Vid. & *Job. Jonstonus* in Polymathia Philologica: *J. M. Dilberus* ac *Job. Weizius* in Orationibus de Philologia, adjunctis Apparatu Philologiæ *Dilberri*. Ex veteribus autem, qui vel

vel ipsas Artes Liberales tradiderunt, vel de iis mentionem fecerunt, laudandi hic veniunt *Philo Alexandrinus* in libro *ἡ τῆς εἰς περὶ παιδευμάτων συνέδου* seu de congressu quærendæ eruditionis gratia, ubi ex allegorica explicatione historiæ Hagaris ancillæ, Abrahamo ante Saram heram filium enixæ, deducit, eruditionem variam prius comparandam esse, quàm ad virtutem perveniatur. *Clemens Alexandrinus* l. 1. *Stromatum* seu *Centonum*. *Seneca* ep. 88. *Quintil.* l. 1. *Instit.* *Tertullianus* in de pallio philosophorum & Christianorum, cap. ultimo. *Lactantius* l. 3. *Instit.* cap. 25. de *Philosophia* & gradibus ad illam. *Augustinus* Tom. 1. operum. *Beda Venerabilis* Tom. 1. operum. *Sever. Boethius* cum in cæteris, tum in lib. de disciplina scholarium cap. 1. *Mart. Capella* in *Satyrico*, edito à *Grotio* Lugdun. anno 1599.

Conspectus dicendorum.

1. *Originatio, & denominatio Artium Liberalium, it. ἐγκυκλίς παιδείας, πολυμαθείας, Philologiae.* 2. *duplex acceptio Artium Liberalium, ἐγκυκλίς παιδείας, πολυμαθείας; quintuplex significatio Philologiae.* 3. *Synonymia.* 4. *descriptio ab objecto & fine.* 5. *distinctio à duobus addiscendi modis, it. in artes Logicas & Mathematicas.* 6. *Grammatica technica, exegetica, critica, poëtica & historica.* 7. *Rhetorica.* 8. *Logica.* 9. *Artes Mathematicæ.* 10. *epicrisis divisionis, quæ non accuratissima est, tolerabilis tamen, & comparata cum divisione Scripturæ in legem, prophetas, & Hagiographa. seu 24. libros.* 11. *prestantia profecta ab objecto & antiquitate.* 12. *utilitas in superioribus Facultatibus.* 13. *Methodus discendi.*

§. I. Quia ἡ τῶν ὀνομάτων ἐπίσκεψις δεχῆ παιδευσεως ἢ juxta *Epictetum*: juvabit *Artium liberalium, ἐγκυκλίς παιδείας, Polymathie & Philologiae* quatuor nomina, quippe fere æquivalentia, paulò diligentius primum rimari. Quod igitur ad originationem attinet, 1. *Artes Liberales* denominatæ sunt à libertate, non tanquam ab effectu suo, quod in libertatem sive civilem à servitute, sive moralem à vitiis vindicent (hæc enim provincia *Philosophiæ practicæ* potiùs competit, quamvis &

Artes Liberales suam symbolam conferant, juxta illud Poëta:
Ovid. l. 2. de ponto, eleg. 9. v. 47.

- - *Ingenuas didicisse fideliter artes
Emollit mores nec sinit esse feras.*

It, l. 1. de ponto, eleg. 7. v. 5.

- - - - *Artibus ingenuis
Pectora mollescunt, asperitasq; fugit.)*

sed tanquam à conditione subjecti, quod olim ab hominibus liberis addiscerentur, & hos maxime deceant. Vid. *Seneca ep. 88. 2. ἐγκύκλιος παιδεία*, aut ἡ ἐνὶ κύκλω παιδεία seu encyclopædia, (ut Latini, *Plinius præfat. hist. Nat. Quintil. lib. 1. Inst. Orat. cap. 15.* composita voce, Græcis vix utilitata, efferunt,) sic dicitur, non proprie, quasi orbicularis vel in orbem rediens eruditio, aut orbis universæ doctrinæ, id quod vulgo vox encyclopædiæ denotare putatur: sed impropiè idem est ac ordinaria, vulgaris & parabilis eruditio; hanc enim significationem vox ἐγκύκλιος passim apud Aristotelem aliosque Scriptores Græcos obtinet. *Wov. cap. 20. & Ferrarius loc. cit. 3. Πολυμαθία, πολυμαθία* seu varia doctrina, cognitio variarum rerum, à πολὺ multum & μαθεῖν discere, dicitur. Denique 4. *Philologia* denominationem suam habere potest vel à subjecto, Philologo nempe, ut idem sit, ac Philologi eruditio sive scientia: vel ab objecto, λόγῳ, sive literis, ut idem sit, ac Φιλία λόγῳ, sive amor bonarum literarum seu eruditionis. Prior denominatio rei perquam conveniens est, est enim Philologia habitus mentis, atque sic notitia. Posterior autem denominatio ab objecto non æque apta est (quamvis aliàs denominationes ab objecto sumptæ meliores sint & rem evidentius exprimant) pertinet enim amor literarum ad voluntatem, quo Philologia non pertinet. Immediate igitur & proxime Philologia à subjecto suo Philologo; mediate verò & remote, interveniente suo subjecto, ab objecto dicta videtur. Est enim Philologia habitus philologi seu hominis amantis eruditionem & eruditi: ipse siquidem Philologus rectè & eruditus ratione intellectus, & eruditionis amans ratione voluntatis adpellatur. Non secus ac Philosophia in abstracto

tracto convenientius (si res & historiae spectantur) quasi Philosophi scientia, quam *Φιλία σοφίας*, seu sapientiae amor dicitur; Pythagoras autem, qui primus pro sopho *philosophi* nomen sibi sumsit, & quivis alius sapiens, recte *sophus* & *Philosophus* dicitur. Scientia enim & scientiae amor sororio plerumque vinculo connexa sunt, & quisquis scientiam acquirere laborat, scientiae amore flagrat, aut flagrare debet: Atque ubi eandem possidet, illam (nisi in utilis, aut turpis sit vel videatur) amore porro prosequitur: sicut contra ea ars non habet osorem, nisi ignorantem. Caeterum primus Philologi nomine insignitus est Eratosthenes Cyrenaeus Afer. Vid. *Svetonius* de Cl. Grammat. §. 10.

§. 2. Diversa porro significatio vocum excutienda est, nam *πάν τὸ πολλαχῶς λεγόμενον ἀσαφές*. I. igitur *Artes Liberales* sumuntur (1.) late, pro omnibus disciplinis liberum hominem decentibus, & quae non sunt manuarum: atque ita & quatuor artes populares, Grammatica, Gymnastica, Musica, & Pictoria, tanquam artes liberales communissimae huc referuntur, & ipsa polymathia, itemque *sophia*, *ιατρικὴ* & *νομικὴ* seu *Medicina* & *Jurisprudencia* à Galeno in Protreptico ad artes: & facultates omnes à Clemente Timplero in Technologia in hoc numero recensentur: Sicut & M. Job. Deucerus in Analyfi philosophiae, edita Jenae, anno 1612. Philosophiam ad Artes liberales refert. (2.) Stricte, pro VII artibus ingenuis; & haec iterum accipiuntur vel exoterice pro imperfectioribus, prout in scholis inferioribus traduntur: vel acroamaticè pro perfectioribus, prout in Academiis longe perfectius & accuratius docentur. II. *Ἐγκύκλιος παιδεία*, vel potius Latinorum Encyclopaedia pariter sumitur 1. late, ut praeter Artes liberales Philosophiam simul complectatur, vel etiam orbem universae doctrinae, ipsas quoque artes mechanicas. Vid. *Vitruv.* lib. 1. de architectura cap. 1. *Job. Tzetzes* chil. XI. hist. 377. *Job. Henr. Alstedius* in Encyclopaedia an. 1630. VII Tomis Herbornae edita. *Mat. Martinus* in Encyclopaedia, edita Herbornae anno 1606. *J. H. Ursinus* in Encyclopaedia Scholastica, dissertatione de Encyclopaedia seu Philosophia in genere, quam in *ἐγκύκλιος παιδεία*

ἑκείαι seu artes liberales VII, & *ταυδεύαι* seu philosophiam di-
vidit. 2. strictè pro VII Artibus Liberalibus, tanquam *ἡγε-
παδὲλευσι*. III. *Polymathia* quoque sumitur 1. latè pro Po-
lymathia (verba sunt *Wower*. cap. 2. p. 19.) *perfecta* & *Philoso-
phia proxima*, quæ est notitia variarum rerum ex omni genere
studiorum collecta, latissimè sese effundens: Vagatur enim libero
& effreni cursu per omnes disciplinarum campos, quatenus eas hu-
manum ingenium indefessa industria assequi potest: quo sensu
& *Jonstonus* Polymathiam describit per recensum omnium fermè
rerum in universo, artibus & antiquitate sub certis classibus. Et
Dilherrus p. 343. Polymathiam nullis terminis coërceri, nullis
carceribus includi scribit. 2. arctius, pro VII artibus: apud
Voss. de Philologia cap. 3 & *Jonston*. in præfat. IV. Philolo-
gia etiam sumitur 1. latissimè apud *Weitz*. & *Dilherr*. p. 346.
seqq. pro omnium scientiarum orbe & complexu, ita ut Philolo-
gus gloriari possit cum *Barthio*, neminem esse in omni antiquitate
Poëtam, *Rhetorem*, *Historicum*, *Philosophum*, *Medicum*, *ſctum*,
Theologum, imò vix unum & alterum scriptorem, quem non lege-
rit, & cujus lectione pro re incidente uti non possit. Hoc itaque
sensu Philologia vagatur per omnes Facultates, saltem trala-
titiam cognitionem ac historiam verborum & rerum in ipsis
sibi vindicans. Eodem fere sensu utitur *Raphaël Volaterranus*
in Commentariis suis urbanis, ineunte superiore seculo Ju-
lio II. Pontifici inscriptis, 38. libros complexis, inque tres To-
mos divisus, quorum primus inscriptus est Geographicus,
constans libris 12. Secundus, Anthropologicus exhibens lib. II.
historiam celebrium Virorum, tum veterum ordine alphabe-
tico, tum recentiorum, Doctorum, Pontificum, Imperato-
rum; Tertius Philologicus de variarum artium rudimentis,
exhibens libris 15. historiam naturalem, summam Philosophiæ
practicæ; scientias cyclicas, Grammaticam, Oratoriam &
scientias Mathematicas, Arithmetica, Musica, Geometri-
am, cum Optica, & Astrologiam; denique ex libris *Aristote-
telis* synopsis totius Philosophiæ & Logicæ. Ita in figura æ-
nea Polymathiæ *Woverianæ* præmissa exhibetur orbis uni-
versæ literaturæ cum inscriptione: *Hoc opus, hoc opus Philo-
logi.*

logi. 2. Pro Artibus Liberalibus vel omnibus, vel plerisque, vel
 faltem Logicis. Vid. *Martian. Capella.* de nuptiis Mercurii
 & Philologiae, *Wow.* cap. 15. *Timpler.* in Techn. & *Alstedii* To-
 mus II. philologicus, ubi Grammaticam, Lexica, Rhetoricam,
 Oratoriam, Poëticam & Logicam eo refert, nec de Historia
 multum abnuit. 3. Pro duabus tantum artibus liberalibus,
 Grammatica latè sumpta & Rhetorica. Ita *Vossius* lib. de Phi-
 lologia cap. 3. qui eam distingvit in Philologiam sermonis,
 quæ Grammaticam technicam & exegeticam, artem Rhetori-
 cam & Metricam continet; & in Philologiam historiarum,
 quæ Genealogiam, Chronologiam, Geographiam & histo-
 riam pragmaticam continet. *Wovarius* eandem definit per pe-
 ritiam linguarum & cognitionem ἀπάσης δεχαιολογίας, & *Isaa-
 cus Casaubonus* per cognitionem historiae & rerum antiquarum, li-
 terasq; humaniores, *Dilber.* p. 359. Gemino fere sensu *B. Glassii*
 liber Philologia Sacra dicitur; & *Hackspernius* in prolegome-
 nis notarum Biblicarum, & *König* in præfatione eorundem si-
 mili significato accipiunt. 4. Pro Grammatica historica so-
 la & lectione antiquorum auctorum. *Seneca* ep. 108, ubi *Phi-
 lologum* contradistingvit *Grammatico*; *Ursinus* in *Musageta* Phi-
 lologiam appellat multiforem eruditionem, quæ ex lectio-
 ne veterum Scriptorum colligitur: exemplis constans, mate-
 riam suppeditans, privato fermè studio acquirenda. Ei op-
 ponit Philosophiam seu encyclion disciplinam, quæ artium &
 scientiarum quendam orbem comprehendit: maximè præce-
 ptis constans, formam & ordinem suppeditans, & quæ passim
 docetur. *Henr. Julius Scheurlus* in statua Mercuriali cap. 2. i-
 tidem Philologiam vocat lectionem optimorum auctorum.
 5. Pro Grammatica Exegetica seu cognitione Linguarum.
 Ita *Chr. Becmannus* in de Originibus Lingvæ L. p. 144. aliique
 apud *Dilherrum* p. 355. Quo sensu & *Jonstonus* Polymathiam
 suam vocat Philologicam, quod præcipua habeatur ratio rerum
 prout vocantur, & vocum, prout rebus impositæ sunt: & *Martinius*
 etymologicum suum appellat *lexicon philologicum*.

§. 3. Insigniuntur hæ artes liberales variis aliis nomini-
 bus. Vocantur enim 1. artes ingenuæ, doctæ, humaniores, exo-

B

tericæ

terica, cyclica. 2. παιδεία ἐγκύκλιος. 3. Polymathia seu varia eruditio. 4. Philologia. it. Alledio *Philosophia organica* s. instrumentalis. it. effectiva.

§. 4. Sunt vero Artes Liberales notitia i. sermonis puri, proprii, & varii, ex Poëtarum & Historicum lectione imprimis addiscendi, 2. orationis ornatae, 3. argumentationis, & 4. quantitatis omnigenae numerandae & mensurandae, viam parans ad sapientiam & prudentiam omnimodam. Genus in hac descriptione est *notitia habitualis*, quae Artibus Liberalibus cum multis aliis communis est. Differentia desumitur ab objecto & fine. Objectum multiplex est, & 1. quidem sermo vel purus seu congruus aut emendatus, in Grammatica technica: vel proprius & varius in Grammatica Exegetica seu Lexicis unius pluriumve lingvarum; isque eruditus, ex Poëtarum & Historicorum praecipue lectione hauriendus; unde Poëtica de sermone metrico seu ligato, & Historia huc refertur, 2. oratio seu sermo ornatus & copiosus in Rhetorica, 3. argumentationes in Logica, 4. quantitas tum continua seu magnitudo, mensurabilis in Geometria & Astronomia: tum discreta seu multitudo, numerabilis in Arithmetica & Musica. Finis est praeparatio ad sapientiam & prudentiam omnimodam in omnibus Facultatibus.

§. 5. Dividit *Wovverius* Polymathiam in duo membra 1. in doctrinam, quae artium cultu constat, 2. in doctrinam sive scientiam, quae acquiritur ipsarum rerum inspectione & usu eruditorum in peregrinationibus. Verum non est haec divisio Polymathiae in partes vel species: Sed tantum enarratio duorum modorum eam addiscendi, qui sunt perlectio auctorum cuiusvis artis, & experientia ex peregrinatione imprimis haurienda. Communiter dividitur cinnus Artium Liberalium in partes integrantes, scilicet in trivium seu III. artes Logicas, & quadrivium seu IV. *Mathematicas*. Logicae sunt Grammatica, Rhetorica, & Dialectica, quae circa λόγος, h. e. sermonem ex Poëtis & Historicis praecipue hauriendum, orationem ornata, & argumentationem occupantur. Mathematicae sunt Arithmetica, Geometria, Musica & Astronomia, quae quanti-

tatis

tatis omnigenæ explicationem sibi sumunt. Vid. *Vossius* cap. 3.
& *Wow.* cap. 3.

§. 6. Prima igitur Artium Liberium est *Grammatica*, sed quæ latissima habet pomeria. Est enim ars loquendi purè, propriè, variè, atque Scriptores antiquos, Poëtas & Historicos explicandi. Unde definitur apud Sextum Empiricum à *Dionysio Thrace*, ἐμπειρία τῶν ὀρθῶν ποιητικῶν καὶ συγγραφεῶν λεγομένων, *experientia eorum, quæ dicuntur à Poëtis & Scriptoribus.* Vid. *Seneca* ep. 88. Pertinent proinde ad Grammaticam veterum. I. *Grammatica technica* sive *Methodica*, quæ vulgo absolute dicitur *Grammatica*, estque notitia sermonis puri, sive ars loquendi congruè. Ejus antecursoria est *Grammatistica*, quæ docet legere, & pronunciare, itemque scribere & computare. Ipsa autem *Grammatica* absolvitur duabus partibus, altera vulgò *Etymologia*, rectius autem *Analogia* dicitur (*etymologia* enim sive vocum originatione ad *Lexica* pertinet) quæ voces singulas, earumque tria genera, nomen puta, verbum & particulas, ac analogam anomalamve, sive regularem aut irregularem flexionem ac modum tradit. Altera *Syntaxis* est, quæ voces conjunctas, sive integras phrases & orationes tradit, idque vel populariter & crassa *Minerva*; vel exquisitius & philosophica accuratone, dum rationem construendi naturalem & generalem à speciali & cuilibet lingvæ propria seu idiotismis curatè distinguit. Egregiè hanc tradunt *Franc. Sanctius* in *Minerva*, *Casp. Scioppius* in *Grammatica Philosophica*: *Vossius* in *Aristarcho* & *Grammatica minore*. II. *Grammatica exegetica verborum*, quæ est notitia sermonis proprii & varii. Explicat hæc significationes proprias tum vocum singularum, tum phrasum, apophthegmatum, idque vel per voces ejusdem, vel aliarum & variarum lingvarum: simul & origines vocum tradit. Huc igitur spectant *Vocabularia* sive *Lexica*, *Glossaria*, *Phrasæologia*, *Adagia*, *Apophthegmata*, *Etymologica*, & notitia variarum Lingvarum, præcipuè earum, quæ inter eruditos obrinent, ut sunt *Latina*, *Græca* & *Orientalia*. Saxum hoc volverunt *Bas. Faber* & *Buchnerus* in *Thesauro*, *Martinius* & *Vossius* in *Etymologicis*: *Erasmus* in *Adagiis*, aliisque. Cœ-



terum & Grammatica Critica, quæ de Scriptoribus judicat, illosq; emendat, quatenus id ex sermone præstat, huc refertur. III. *Grammatica Exegetica Poëtarum*, ad quam reducitur cum ars metrica, quæ est notitia sermonis modulati sive ligati, ad certos numeros adstricti; tum facultas poëtica, quæ præter numerum sive metrum invenire & disponere novit: Estque alia exegetica, quæ rem narrat directè & simpliciter sine apparatu personarum in theatrum productarum, quò pertinent Carmina epica sive heroica, Elegiaca & lyrica: Alia dramatica seu imitativa, quæ rem narrat operose, ascitis variis personis in scena vitam humanam imitantibus & exprimentibus, quo Comœdiæ & Tragœdiæ pertinent Vid. Poëtica Giessensis & Jac. Masenii palæstra styli ligati. IV. *Grammatica Exegetica Historicorum*, ad quam reducenda videtur tum ars historica de conscribendis & legendis historiis; tum ipsa Historia, quæ singularia memorabilia exponit. Latissimè hæc patet & per omnia se diffundit: Datur enim historia verborum & rerum, eaque naturalis, religionum, rerumpublicarum, technica &c. quod Excellentissimus Dn. *Bosius*, Præceptor noster honoratissimus, curatè in Scholis Isagogicis privatis & publicis diduxit, & propediem forsan dissertationibus peculiaribus, orbi literario ostendet. Atq; ista inprimis *πολυμάθεια* absolvit, & vulgo quadruplex constituitur ratione objecti sui, 1. *pragmatica* absolute sic dicta, quæ res gestas singulares exponit, 2. *Chronologica*, quæ temporum epochas tradit, 3. *Topologica* seu *Geographica*, quæ locorum notitiam tradit, 4. *Genealogica*, quæ illustres & celebres familias memoriæ prodit.

§. 7. Secunda ex Artibus Liberalibus est *Rhetorica*, sub qua comprehenditur tum ars rhetorica de ornatu interno; tum facultas rhetorica sive oratoria aut eloquentia, quæ invenire, disponere & pronunciare ac agere novit. Hanc *Quintilianus* & *Theon* ex artium cyclicarum numero excludunt: plerique tamen, ut *Philo*, *Origenes*, *Synesius*, *Clemens Alexandrinus*, *Autor* vitæ Aristotelis, ad easdem referunt. Est autem Rhetorica notitia sermonis ornati & copiosi; sive facultas ornate & copiose dicendi. Explicat illa IV. partibus orationis ornate indolem,

dolem, 1. posito themate docet invenire argumenta, tum Logica sive docentia h. e. rationes ex variis causarum generibus: tum Ethica sive conciliantia h. e. mores, tum pathetica sive moventia h. e. affectus. 2. inventa disponit secundum certas partes, tum principales, propositionem & contentionem, ubi argumentis Logicis in primis locus est: tum secundarias, exordium & Epilogum, ubi argumentis ethicis & patheticis locus est. Hinc absolutis, quæ ad orationis substantiam pertinent, accidentia ejus seu ornatum internum & externum monstrat, atque tradit 3. elocutionem sive orationis elegantiam, compositionem & dignitatem ex tropis & schematibus profectam, atque varios dicendi characteres ac ideas, Denique 4. hypocrisin sive pronunciationem & actionem commensurat. Huc etiam Progymnastica & Epistolica referri potest. Vid. *Vof.* Institutiones & Partitiones Rhetoricæ, & *Jac. Masenii* palastra: *Nicol. Caufini* eloquentia sacra & profana.

§. 8. Tertia est *Logica*. Hanc *Agellius* lib. 20. c. 15. inter acroamata ab *Aristotele* traditam refert: eoque à multis ad Philosophiam refertur. Ostendit autem *Wow.* cap. 26. prolixè, eam à veteribus Philosophis in *περὶ παρασκευῆς πρὸς φιλοσοφίας* propositam esse. Docet autem Logica vera aut verosimilia seu probabilia invenire per argumentationes, quarum partim formas cum materia generali tradit in parte priorè, ubi de terminis, enunciationibus & syllogismi forma juxta tres mentis operationes agit: posteriore parte materiam specialem & habitudinem terminorum ad se invicem exponit, docetque quomodo Syllogismi Analytici ex principiis veris, propriis & necessariis scientiam & veritatem pariant: Dialectici contra ex principiis verosimilibus, communibus & contingentibus opinionem & verosimile concludant; Pseudogrammata autem & sophismata ad falsa & improbabilia declinent. Definiendi etiam, dividendi & methodicè disponendi ars huc refertur.

§. 9. Reliquæ sunt IV. Artes Mathematicæ. Has *Ammonius* Philosophiæ partem statuit. *Peripatetici* tamen, *Cynici* & *Stoici*, *Sextus Empiricus*, *Augustinus*, ad *Περὶ παιδείας* referunt.

Vid. *Vossius* de scientiis Mathematicis cap. 3. *Wolv.* c. 25. p. 286.
Ex Artibus istis 1. Arithmetica docet numerare: 2. huic inni-
titur Musica, quæ tonorum harmoniam monstrat. 3. Geome-
tria docet dimetiri in grammimetria, epipedometria & stereo-
metria. Denique 4. Astronomia à Geometria adjuta stella-
rum motum, distantiam aliaque monstrat. Huc deinceps per-
tinent & reliquæ disciplinæ mathematicæ, quas *Jonstanius* lib. 3.
polym. cap. 15. revocat ad Cosmographiam (sub qua est Astro-
nomia) Opticam & Staticam, quando universa mathesis consti-
tuenda est; de qua vid. Exc. *Weigelius*, Patronus noster pluri-
mum honorandus, in *Idea* superiore anno edita.

§. 10. Si nunc accuratorem divisionis hujus in VII. Ar-
tes Liberales expendimus: equidem sunt forsitan in istâ, quæ
censuram nimis exquisitam ferre nequeunt. 1. Enim Gram-
matica late nimis extenditur, si Poeticam etiam & Historiam
complecti debet, quæ peculiaria constituunt potius doctrinæ
genera. 2. Rhetorica non minori jure ad eandem in hæc lati-
tudine acceptam referri poterat, veluti etiam olim Gramma-
tici quidam ejus tractationem sibi vindicarunt, vid. *Voss.* Phi-
lol. cap. 8. 3. De Logica etiam & disciplinis Mathematicis ul-
tro citroque disquiritur, annon ad Philosophiam pertineant?
Quæri potest item, cur quatuor istæ duntaxat, nec reliquæ et-
iam disciplinæ Mathematicæ expresse referantur ad Artium
Liberalium orbem? Quæ pleraque omnia inde orta sunt, quod
artes liberales primitus vocarentur VII. illæ, quæ in scholis
inferioribus traduntur: deinde retinuerunt nomē, cum in Aca-
demiis traderentur exactius & plenius, reductis eo, quæ ad po-
lymathiam pertinent. Ast enim verò, quia 1. non heri nudius ve-
terius, sed jam olim receptus est ille numerus: quia 2. disciplinæ
necessariæ hic exhibentur; istis autem nil decedit, sive ad hanc,
sive ad illam disciplinam generalem referantur, aut etiam pla-
ne pro peculiaribus habeantur, modò ritè & integrè tradan-
tur: adhuc quia 3. memoriæ hoc recensu consulitur, cui sæpè
aptior est rudis aliqua eaq; explanata, quàm exquisita nimis &
anxia ac diffusa rei tractatio: Ideo nolim sexagenarios de ponte
præcipitare, aut ad vivum omnia refecare. Neq; tamen inficias
eo,

eo, tractationem harum artium, philosophiæ etiam olim præmissam, exotericam, nequaquam vero omnibus numeris aut partibus perfectam fuisse: Acroamatica enim & plena cognitio majoris operæ est, quàm ut in pueros vel adolescentes cadat, atque olim a philosophis cum ipsa philosophia tradita est. Contendi autem potest hic numerus & divisio artium Liberalium cum numero & divisione vetere Judæorum, qua Scripturæ V. T. tribuunt libros 24. & dividunt in תורה, נבואים & כתובים in *legem, Prophetas & Hagiographa*, atque ad legem referunt libros bis quinque, Pentateuchum scilicet & ejus velut appendicem, V. libellos festivos, quos legunt in V. festis suis, Canticum nempe Cantorum in Festo Paschatos, Ruth in Festo Pentecostes, Threnos in Festo expiationis: Ecclesiasten in festo tabernaculorum: & Esther in Festo Purim s. sortium. Ad Prophetas referunt libros bis quatuor, nempe IV. Prophetas priores, libros Josuæ, Judicum, Samuelis & Regum: & IV. Prophetas posteriores, Jesaiam, Jeremiam, Ezechielem & XII. Prophetas minores, pro uno hic habendos: Ad Hagiographa referunt libros bis tres, tres metricos תנ"ך, Psalterium, Proverbia & Jobum; & tres Historicos, Danielelem, Esram cum Nehemia & Paralipomena. In divisione istâ si quis omnia cum pulvisculo conferat, examen ipsa non feret: Communiter tamen in Scholis Theologicis retinetur, quod & antiqua sit, secundum quam libri Biblici olim hodieque à Judæis disponuntur, & ipsos libros Biblicos omnes exhibeat, & memoriæ apte inserviat. Eodem itaque jure & nostra Artium Liberalium divisio retineri meretur.

§. II. Operæ nunc precium est, monstrare Artium Liberalium nobilitatem & usum, quæve alia circa ipsas observanda veniunt. Nobilitas igitur sive præstantia earum æstimanda venit 1. ab objecto, cum materiali, circa quod occupatur, planè egregio, quod ut diligenter tractetur, publicè hominum interest: loqui enim congruè & eruditè, atque historias veteres in numero habere: posse rem persuadere alteri: rectè rationari: rectè numerare & mensurare, liberum hominem oppidò decet: contra ea horum ignorantia summæ turpitudini est: tum
forma-

formali seu modo tractandi, qui præcipue in disciplinis mathematicis evidens & illustris est. 2. ab antiquitate: Sapiens enim antiquitas identidem has disciplinas maximi fecit, nec oscitanter coluit.

§. 12. Utilitatem si pro rei dignitate diducere vellem, latissimus pateret dicendi campus. Non obscure autem ea inde colligi potest, quod in severioribus studiis nemo sine his artibus progredi, certe non feliciter, potest. Namque & Theologi & Jcti & Medici & Philosophi rectè & erudite loqui, antiquitates nosse, & ratiocinari debent. Unde Veteres, subacti in gravioribus studiis judicii, neminem ad ea admiserunt, nisi Artibus Liberalibus priùs imbutum; qui & invidendos hinc fecerunt progressus, famamque æternam sibi compararunt. Barbaries autem superiorum seculorum cui potius accepta ferenda est, quam neglectui harum artium? quod Scholastici studium Linguarum, Historiarum &c. susque deque haberent, suisque spinis & vepribus impliciti lapides loquerentur, quibus cerebrum excuterent. Postquam autem his artibus suus cultus rediit, res literaria etiam nitorem suum recuperavit.

§. 13. Modus hauriendi artes has jam supra §. 5. geminus significatus est, nempe 1. certorum doctorum auscultatio, & auctorum ipsorum evolutio. 2. interdum peregrinatio & cum eruditis conversatio. Optima autem haut dubie est methodus tradendi artes antiqua, 1. ut hæ artes primo loco ante cæteras disciplinas pueris adhuc vel adolescentibus proponantur in Scholis classicis, de hinc in Gymnasiis & Academiis magis magisque, & solide quidem, excolendæ: Requirit enim ipsæ, in primis Grammatica exegetica seu doctrina sermonis & Linguarum variarum; item Grammatica Historica, quæ de singularibus actionibus, locis, personis in Historia pragmatica, geographica, genealogica &c. agit, memoriam vegetam, qualis in istam ætatem oppidò cadit: Ubi vero in seram & deterioris memoriæ ætatem, quæ judicio pollet & gravioribus disciplinis tribuenda est, studia isthæc rejiciuntur, non nisi maximo cum labore & sæpè tædio addiscuntur. Adhæc jucunditate & facilitate sua artes istæ alliciunt ad se adolescentes, ipsisque se commendant: Contra ea severiores disciplinæ, quia & difficiliiores sunt & morosiores, eos planè, sæpe absterrent. 2. Libelli technici præcepta pauca, universalia accuratâ & justâ methodo disposita habent, ne, si proliza, falsa vel confusanea sunt, tempus, oleum & operam discendo quis perdat. Et hoc nomine plerique omnes libelli Grammaticæ technicæ, graviolem

Scioppii censuram merito experiuntur. Plura dicturum
charta destituit: igitur manum
de tabula!

F I N I S.

AB: 155735 (1)


ULB Halle 3
003 023 915




80

V. 12







B.I.G.

Farbkarte #13

25

כְּשֶׁבַח אֱלֹהֵינוּ

ATIONEM

De

IBUS

ALIBUS

SEU

IA VETERUM,

cultate Philosophica
concedente,

PRÆSIDIO

LARISSIMI

NNIS CRAUSII,

osophicæ Adjuncti

ritissimi,

ων συζητήσῃ publicè exponit

S THRYLLITIUS,

orbitio - Misnicus,

-Respondens

Martii

anæ cIo Ioc LXX.

EN Æ,

MUELIS KREBSII.